

AB

42 $\frac{8}{2,14}$

007

alt. Nr. 475.

1) Beza, Th.

2) Cogelensis, J. (3 parts)

Aug. 20. 2

U. VII. 8h.

Die Holzschritte zu 2) werden
Hans Prossamer zugeordnet



OBIECTIONES
ALIQVOT
IN EPISTOLAM SE-
CVNDAM S. PETRI APOSTOLI,
quibus additæ sunt breues Solutiones, quæ
magnam lucem adferunt plurimis locis,
tàm in Veteri, quàm in Nouo
Testamento, collectæ

A
D. IOHANNNE
Coglero.



VITEBERGÆ
1563.

ORIENTALES

ALLOVOT

INSTITUTAM

CANTABRIGIAE

quibus adhibet sunt breves observationes quae

conferuntur cum scripturae quibus locis

quae in Veteri Testamento

affertur collatae

A

D. JOHANNIS

Cogitatio.



VITTEBERGAE

1763



NOBILITATE
GENERIS, VIRTUTE

& doctrina prestanti Domino

PAULO VOBISER

Domino & patrono

suo colendo.



LEGANTER

quidem & piè cecit-

nit dulcissima Lu-

scinia Iohannes Sti-

gelius, Poëta cla-

risimus piæ memorie:

Vtq; alios alij de religione docerent,

Contiguas pietas iussit habere domos.

Nam eam ob causam huc col-
locati sumus. Et cum hoc ita sit,
maximè illi, qui viribus & nervis
instructi & muniti sunt, hac de re
maiores curam suscipere debent,
adeò vt non solum strenuè mili-

A 2 tiam

tiam literariam promoueant suis
sumptibus, sed vt omnium morosè
& iniquè iudicantium vociferatio-
nes & allatrationes sua authorita-
te impediunt, consilio compefcant,
potentia extinguant. Qualis verò
status nunc sit in toto mundo, o-
mnes cum summo dolore experiun-
tur. Quia verò Deus me in hanc
stationem collocauit, vt dissemi-
nem verbum incorruptum Dei,
spero meos labores Deo gratos,
Ecclesie salutare, & iuuentuti
vtilis fore. Collegi autem ex qui-
busdam Epistolis Apostolorum
aliquot obiectiones, quibus & ad-
didi solutiones, quem laborem pro-
desse iudico plurimis, nocere verò
nemini. Nam eo modo illi, qui in
castris docendi versantur, occasio-
nem habebunt diligentius scrutan-
di sa-

ti sacram scripturam: Deinde ut
videant, quomodo aduersarij de-
prauarunt multos bonos textus,
ut illis respondere possint, aliosq;
monere, ut hos tanquam scopulos
fugiant, & commentaria docto-
rum tantò melius intelligant. Et
quia multis alijs Dominis illas lu-
cubrations dedicare potuissem, T.
P. potius hanc Epistolam dedica-
re cupio, ut quàm primum hæc sub
tuo nomine in lucem ædatur, da-
turus operam, ut Nouum Testa-
mentum ita examinetur. Peto
autem ut Tua Præstantia hoc mu-
nus exiguum hilari fronte susci-
piat. Et non dubito munus illud
vobis gratum fore, præsertim cum
ipse cognouerim, quanti faciatis
scripta reuerendi viri Lutheri
piæ memoriæ, & quàm honorificè

A 3

aliquan-

aliquando mentionem reverendi
viri D. Doctoris Eberi, apud
quem olim cibum cepistis, facere
non dubitastis. Et in primis ornat
hoc nobilitatem generis, hanc pos-
sionem laudis non negligere.
Dominus Philippus piæ memoriæ
recitat in Secundo Tomo Decla-
mationum, folio 644. Memini
audire à quodam hospite, regem
Hispanicum Alfonso visitato
more Principum suo quodam sym-
bolo esse delectatum, passim enim
pinxit Pelicanum fodientem ro-
stro pectus, & elicientem sangui-
nem ad pullos pascendos. Huic pi-
cturæ addidit Epigramma: Pro
lege & pro grege: Significans
Principem omnia pericula adire
debere, & religionis ornandæ cau-
sa et pro populi defensione. Sapien-
ter vi-

ter vidit Alfonsus, præcipuum
munus esse superiorum ordinum,
religionis studium, cōseruationem
& propagationem. Cumq; omnes
homines ad hoc opus diuinitus vo-
centur, vt suo quisque loco confe-
rat aliquid studij ad illustrandam
Dei gloriam, non existiment su-
periores ordines, hoc officium nihil
ad se pertinere. Hæc vir præstan-
tissime breuiter significare volui:
precor autem vobis pacem Filij
Dei, quam mundus non potest da-
re. Datum Stettini in die Na-
tiuitatis Domini. Anno 1563.

Tuæ præstantiæ

addictiss:

Iohannes Coglerus D.

A 4 CAPVT

CAPVT I. ♦

His qui æque preciosam nobis
biscum sunt fidem.

Sed dona sunt inæqualia.

Ergo Fides in omnibus non est
æqualis, sed in alijs maior, in alijs mi-
nor.

*Respondeo. Non consideranda est hoc
in loco quantitas fidei uel qualitas, sed corre-
latiuum, quod uidelicet eundem & unicum
Christum cum omnibus beneficijs sibi appli-
cant.*

II.

Per iusticiam Dei nostri.

Ergo iustificamur Dei iusticia,
hoc est, iusticia essentiali, & non per
Christi meritum.

*Respon. Iusticia Dei uocatur quòd cor-
ram Deo ualeat, quam Deus promisit propter
Mediatorem ignotam rationi, quæ non est
iusticia Legis seu operum, sed est remissio pec-
catorum, & reconciliatio & imputatio iusti-
ciæ, seu acceptatio propter Mediatoris obe-
dientiam, cum qua reconciliatione coniuncta
est*

est uiuificatio, quæ fit per ipsum filium Dei,
cum fide apprehendimus uerbum Euangelij.
Illa iusticia offertur omnibus. Hanc solutio-
nem dare solebat Dominus Philippus piæ me-
morie.

III.

Gratia uobis & pax multiplices-
tur per agnitionem Dei &c.

Esaias Propheta cap. ii. prædicat
hoc, dicens: Repleta est terra scientia
DOMINI, habitabit lupus cum
agno &c. non nocebunt, & non occi-
dens in uniuerso monte sancto
meo. Sed hoc nondum eminet uel
apparet in Ecclesia.

Ergo illa promissio non est satis
firma.

Respon. Sacra scriptura habet peculia-
rem modum loquendi, & suas proprias phra-
ses. Quando igitur Propheta loquuntur de
huiusmodi concordia inter ouem & lupum
&c. intelligendus est ille textus de pace spi-
rituali, non de corporali, præsertim cum cer-
tum est, semper bella & populum Dei gessisse.
In mundo, inquit Christus, habebitis afflictio-
nem, in me uero pacem.

A 5

Petrus

IIII.

Petrus inquit omnia nobis esse data.

Ergo nihil nobis deest, nullus piorum oneratur paupertate &c.

Sed uidemus contrarium in Lazaro & alijs.

Ergo non omnia nobis dantur.

Respon. Omnia nobis data, scilicet, quæ necessaria sunt ad uitam æternam. Non enim Christus temerè inquit iam moriturus, consummatum est &c.

V.

Vt per hæc efficeremini diuinæ confortes naturæ.

Ergo sumus Deo æquales.

Respon. Natura non significat hîc substantiam, sed relationem. Sumus unum cum Deo, hoc est, omnes credentes fiunt participes beneficiorum Christi &c. Habemus hæc de re pulcherrimam similitudinem de uite &c. Iohan. 15.

VI.

Si refugeritis à corruptione, quæ est

est in mundo, per concupiscentiam.

Item: Subministrate uirtutem.

Ergo homo potest suis uiribus
aliquid efficere in rebus diuinis.

Respon. Omnia quæ Diuus Petrus præcipit, dona Dei sunt, & à Deo petenda, qui promisit se nos clementer exauditurum. Dum ergo Apostolus hæc requirit, non asserit nos posse, sed tantum quid debeamus, ostendit, & quid fieri debeat.

VII.

In scientia temperantiam.

In Epistola ad Romanos 14. Qui non manducat, non iudicet manducantem.

Ergo non reprehendendum est, quando aliquis limites temperantiæ transilire non erubescit.

Respon. Non loquitur Paulus illo in loco de immoderato uictu: Sed docere uult, liberum esse usum earum rerum omnium, quarum usum Deus liberum concessit, nec prohibuit, & propter eas res non mouendas esse disceptationes aut discordias in Ecclesia, quales
dissentia

diffensiones saepe in Ecclesia motae sunt, ut de
ieiunijs, de uestitu & alijs similibus.

VIII.

Quapropter firmam facite ue-
stram uocationem.

Ergo in nostra est potestate ra-
tam facere electionem.

Respondit Lutherus. Est modus loquen-
di in scriptura, Dei electio satis existit firma,
tibi tamen firma non est, & stabilis, quam diu
es incertus ad te eam quoq; pertinere.

IX.

Quin & dabo operam, ut uos
post exitum meum, horum mentio-
nem facere possitis, Papistæ ex hoc
loco sanctorum intercessionem ap-
probare uoluerunt.

Respon. S. Petrus non dixit, efficiam ut
post obitum meum me inuocetis, sed ut etiam
me mortuo habeatis, quod uos doctrina à me
olim tradita, admoneat, In sanctis Dei non
carnem, non sanguinem, non ossa, non statu-
ram & habitum corporis miramur, sed fidem,
& bona opera sanctorum.

Oculis

X.

Oculis nostris aspeximus illius
maiestatem. Sed Deum nemo potest
uidere in hac uita sicuti est.

Ergo Petrus Apostolus ultra
septa ueritatis transit.

Respon. Vidit S. Petrus cum alijs san-
ctis maiestatem Dei secundum quid, & non
simpliciter, hoc est, quantum Deus à nobis
hic uideri potest, & quantum nobis utile est.
Vidit autem Domini manifestationem in mon-
te Thabor. Vidit Christi stupenda quoq; mira-
cula. Vidit Christum resuscitatum. Vidit Chri-
stum in coelum ascendentem.

XI.

Acceperat à Deo patre gloriam
& honorem.

Ergo Christus non est æqualis
patri, uel ante illud tempus honorem
non habuit.

Respon. Christus ipse declarat hunc lo-
cum in Iohanne cap. 17. Et nunc glorifica me
Pater apud te ipsum gloria quam habui,
priusquam hic mundus esset apud te. Ergo si-
cuti petimus, ut Dei nomen sanctificetur, non
quod

quòd non sanctum sit, sed ut in nobis sanctum sit. Sic petimus, ut & nos gloriam Dei cognoscamus & celebremus.

XII.

Historia illa de Christi manifestatione describitur à S. Euangelista Matthæo Capit. 17. Marci 9. & Lucæ 9. Et post dies sex assumit Iesus Petrum, Iacobum & Ioannem. Posset autem aliquis inde colligere, apud Deum personarum esse respectum, præsertim cum non omnes discipulos secum duxerit, sed tantum hos tres.

Respon. Non potest nec debet reddi ratio de omnibus rebus, præsertim quæ articulis fidei nihil adimunt. Sciamus autem testimonium esse in ore duorum uel trium &c.

XIII.

Et huc spectat Psal. 2. qui hanc historiam mirificè declarat. Et cum aliqui loci difficiliores sunt in eo Psalmo, paucis & hunc examinabimus. Vocat David Christum ibi unctum quòd uidelicet unctus sit à Deo patre &c.

&c. Ideo Ioannes inquit in 1. Epistola
la Capit. 2. Vnctio uos docebit.
Quem locum insulsi Papiſtæ detor-
quent eo, ut suam ineptam & impiam
unctionem confirmant.

*Respondeo autem ad illum locum: Vn-
ctio uos docebit, hoc est, Spiritus sanctus, quem
unctio in ueteri Testamento figurabat. Sed de
unctione audiemus plura argumenta in Epi-
stola Iacobi cap. 5,*

XIIII.

Docebit uos omnia.
Ergo nihil nobis deest, & per
consequens, Paulus non recte dixit,
nos omnia uidere quasi per specu-
lum.

*Respon. Omnia, scilicet, quæ ad uitam æ-
ternam sunt necessaria.*

XV.

Quidam ita argumentantur, ut
Anabaptistæ, Vnctio uos omnia doc-
cebit.

Ergo non opus est externo mi-
nisterio.

*Respon. Imò hoc dictum est potius pro
nobis*

nobis quam contra nos, hoc est, cum Spiritus
sanctus uobis uiam ostendat, ueritatem pate-
faciat, & uitam adferat, non audietis uel
queretis aliam doctrinam.

XVI.

Sequitur in Psalmo: Qui habitat
in caelis irridebit eos.

Ergo Deus aliquo loco circum-
scribitur.

Respon. Certum est Deum esse ubiq;, &
non alligatum ad unum certum locum, ideo
necesse est, ut hanc phrasin intelligamus, Deus
habitat in caelis, id est, securus est contra o-
mnem impetum, & incursionem hostium. De-
inde monemur etiam, ut recte uiuamus in hoc
seculo tanquam in Dei conspectu. Postremo ut
cogitemus, quotiescunq; caelum aspiciamus, nos
esse peregrinos, & breui ad caelestem patri-
am migraturos.

XVII.

Sequitur. Et irridebit eos, Sed
uidemus potius contrarium, pñ afflis-
guntur, & deridentur, imò Christus
inquit: Tristis est anima mea: Ibi
certè non irridentur hostes.

Respon.

Respon. Diuidamus hominem in carnem
& spiritum: Caro infirma, Spiritus promptus.
Deinde considerandum est, quomodo hostes
confunduntur tandem.

XVIII.

Conteres eos: Sed græca uersio
habet, ποιμαίνεις αὐτούς, pascas eos.

Respon. Hebraica uox & pascere &
conterere significat. Deinde uirga ferrea ma-
gis ad contritionem impiorum, quam ad pas-
stum ouium quadrat.

XIX.

Super Sion montem sanctum.
Sed Christus inquit ad Pilatum: Re-
gnum meum non est de hoc mundo.
Sed mons Sion est de mundo, & in
mundo.

Ergo scriptura secum pugnat.

Respon. Loquitur Dauid de Ecclesia, si-
cuti Epistola ad Hebræos cap. 12. & Epistola
ad Galatas hoc declarat & exponit.

XX.

Filius meus es tu, ego hodie ge-
B nui te,

nuite. Si Christus est genitus hodie.
Ergo habet principium, ut docuerunt hæretici.

Respon. Hodie, id est, ab æterno. Hoc & Propheta testatur: Generationem eius quis enarrabit?

XXI.

Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam.

Si Christus debet à patre postulare hoc.

Ergo non est Patri æqualis.

Respon. Postula à me, scilicet, eo modo, sicut in arcano decreto à maiestate diuina est ordinatum. Nec illa Christi humilitas aliquid de Christi potentia, sapientia & honore adimit, quem unà cum Patre & Spiritu sancto habet.

XXII.

Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.

Quæritur, cur non et alios homines uocat?

Respon. Reliqui non equidem excluduntur. Nominatim autem uocat Principes & iudices: Nam illi debent subditis bonis exemplis

plis antecellere, & in primis pietatis uestigia persequi.

XXIII.

Irridebit & subsannabit eos.

Tautologia seu repetitio eiusdem est uiciofa.

Ergo David hac in re peccare uisetur.

Respondet Lutherus, est usitatum in sacris literis, quod benignus Spiritus pro nostra paraclisi & adhortatione facit, ne scilicet in tentatione deficiamus, sed in spem certissimam nos erigamus, quia ueniens ueniet & non tardabit. Quare etsi in humanis locutionibus, tautologia uiciofa & superflua uideatur: in rebus tamen Dei summè est necessaria, propterea quòd Spes (ut ait sapiens) quæ differtur affligit animam. Proverb. 13. Rursus sicuti in promissionibus bonorum non potest satis afflictis inculcari consolatio: ita in minimis malorum, non potest satis intentari terror, indensatis, duris & incredulis.

XXIII.

In Iob habetur Cap. 41. Quis reuelabit faciem indumenti eius in du-

B 2 plex

plex capistrum eius, quis intrabit?

Respon. De Simsone legitur quòd Leonem in frusta dilacerauerit: At nullus est Simson, qui Leuiatham dirumpat, & manum suam inter capistrum, & dentes eius immittat, crudelior enim est, quàm ut leuius tractari queat, et fortior, quàm ut manum illesam, si in os eius immiseris, extrahas: Solus Christus immisit manum suam in dentes, & reduxit illesam.

XXV.

Nunc ad textum. Quæritur, quare Christus prohibet passim narrari hanc uisionem, donec facta fuerit resurrectio?

Respon. Vult nos Deus ordiri doctrinam à uerbo, quod tradidit Ecclesie suæ certis testimonijs, & uult disci necessaria, non uult nos humana curiositate subindè nouas uisiones quærere.

XXVI.

Petrus inquit, ipsos habere firmiorem sermonem Propheticum.

Ergo Testimonia Prophetarum firmiora sunt, quàm patris cœlestis.

Respon.

*Respon. Firmiorem dixit propter infir-
miores in fide, non quòd firmiora testimonio
patris crederet Prophetarum testimonia, cum
non ignoraret etiam Prophetarum testimonia
esse patris instinctum. Erant autem ex Iuda-
ismo conuersi multi, uehementer intenti Pro-
phetarum testimonijs, quorum studium hic
approbat Petrus dicens, cui dum attenditis,
rectè facitis.*

XXVII.

In Psalmo 118. Lucerna uerbum
tuum pedibus meis, & sequitur mox,
Iuravi et statui, ut custodiam, dicit hic
Anabaptista, custodire iudicia iustitiae
Dei, non est uirium humanarum,
sed opus gratiae Dei, Quomodo ergò
iurat se custodire uelle?

*Respon. Audita est in Epistola ad Gala-
tas responsio.*

XXVIII.

Multas obiectiones aliquis hic
adferre posset, quibus Stenckefeldius
& Anabaptistae uerbum uocale reñce-
re non erubescant, sed illas audiui-

B 3 mus

mus in explicatione S. Euangelistæ
Matthæi.

XXIX.

Non enim uoluntate humana al-
lata est Prophetia.

Sed uidemus multa Prophetasse
humana uoluntate.

Ergo S. Petrus hac in re dece-
ptus est.

*Respon. Concedo multos prophetasse
humana auctoritate, sed quæstio est, an etiam
uera fuerit Prophetia, & quo sine facta fuerit.*

XXX.

Tamen Prophetæ fuerunt ho-
mines.

*Respon. Etsi homines fuerunt Prophe-
tæ, uaticinia tamen eorum non sunt humana,
sed Sancti spiritus inspiratio.*

CAPVT II.

I.

Fuerunt Pseudoprophetæ in po-
pulo, abnegantes dominum qui
illos

illos mercatus est. Sed posset aliquis
dicere: Hæretici i, Arius, Ebion,
Pelagius & Papistæ Christum non
negarunt, Et de his loquitur Petrus.

Ergo facit eis iniuriam.

Respon. Non dicit illos omnino Chri-
stum negaturos, sed ea parte, qua salutaris est.

II.

Via ueritatis maledictis afficie-
tur. Hoc Papistæ in nos detorquent.

Respon. Nos facile illis possemus respon-
dere, si necesse esset, quidquid docuimus &
docemus cum ueritate congruere: Sed non
opus esse duco, semper stulto respondere iuxta
suam stultitiam.

III.

Nam si Deus Angelis qui peccas-
uerant non pepercit, sed cathenis nos-
ctis in tartarum præcipitados tradi-
dit, seruatos in iudicium.

Sed Paulus alibi inquit, illum in
aëre uersari.

Ergo hæc duo dicta pugnant.

B 4

Respon.

Respondet Augustinus in lib. de Natura
Boni, aduersus Manichæos fol. 560. Ille aër
caliginosus est ut carcer. Et quanquam ille
hostis efficax est in filijs incredulitatis, tamen
contra electos nihil ualet.

IIII.

Omnis creatura Dei est bona.
Sed Diabolus est creatura Dei.
Ergo Diabolus est bonus.

Respondeo ad Maiorem. Omnis creatura
Dei est bona, scilicet, quando ita est & manet
ut condita est. Sed Diabolus pessimè degene-
rauit, sicuti in Ecclesia docetur, in festo casto-
rum Angelorum.

V.

Sed Christus inquit Iohan. 8. Ille
homicida erat ab initio.

Ergo cum homicida ab initio
fuit, DEVS illum creauit, ut talis
esset. Et non fuit bona creatura.

Respon. Ab initio: non est intelligendum
quòd Deus illum creasset malum: Sed ab initio,
id est, non diu in illa ueritate stetit, sed uoluit
esse equalis Filio Dei.

Lex

VI.

Lex obligat ad obedientiam uel ad poenam. Sed Diabolus poenam soluit.

Ergo satisfacit legi.

Respondeo ad Antecedens. Lex obligat ad poenam, scilicet uoluntariam. Sed Diabolus est Deo obediens contra suam uoluntatem.

VII.

Quaestio mouetur à doctis: Cur Adam & Heua recipiuntur post lapsum, Diabolus uerò non recipitur in gratiam post lapsum.

Respon. Forma & fine discernuntur omnes actiones. Nam Diabolus lapsus est proprio motu, nemine persuadente. Adam uerò lapsus est astutia Diaboli deceptus: Deinde Diabolus suum peccatum non agnoscit, nec ueniam peccatorum quærit. Sed Adam agnoscit peccatum & gratiam oblatam auidè arripit.

VIII.

B 5

Quod

Quod autem in alio loco dicitur
Mulierem peccasse, Adam uerò non,
Non potest nec debet ita intelligi,
quòd Adam extra culpam esse debe-
ret, Sed circumstantia uel ordo tem-
poris potius est inspiciendus. Mulier
peccauit & non uir, scilicet ab initio:
Adam uerò non debuisset obtempe-
rare Eux, sed potius mandatum
Dei obseruasse.

IX.

Et prisco mundo non pepercit,
sed octauum præconem iusticiæ No-
hæ seruauit, diluuiò impiorum in
mundum inducto. Historia de dilu-
uio est manifesta: Sic enim incipit
Moises Cap. 6. Cumq; cæpissent ho-
mines multiplicari. Non est autem
intelligendum, quòd tunc primum
cæperit multiplicari mundus, sed com-
plectitur etiam superiores Patriar-
chas, qui ante Noha fuerunt.

X.

Et

Et filias procreassent.

Sed Deus ipse coniugium instituit & ordinavit.

Ergo procreatio filiorum non est peccatum.

Respon. Deus non damnat coniugium, sed pessimum abusum, qui irrepsit contra Dei ordinem & uoluntatem, sicuti apparet ex toto textu.

XI.

Non permanebit Spiritus meus in homine: Iudæi ita exponunt, id est, indignatio & ira mea non permanebit super hominem. Non uolo irasci hominibus, sed eis parcam. Sunt caro, id est, pronitatem ad peccandum habent: Alij, Spiritus, id est, anima non luctabitur cum carne. Sed natiua & germana sententia est, non permanebit Spiritus meus in homine, id est, Omnino contemnunt & abiiciunt uerbum meum, cadit iuxta uiam &c. Ergo non permanebit

manebit, id est, ego puniam illam in-
gratitudinem, ut non possint amplius
audire, doctores auferam ab eis,
sicuti uidemus quoque nunc fieri in to-
ta fere Germania.

XII.

Videns autem Dominus, quod
multa malitia esset in terra.

Cum Deus omnia praeuidet, cur
nunc primum dicit se uidere.

Respon. Scriptura loquitur secundum
cogitationem eorum hominum, qui sunt in mi-
nisterio. Quod ergo Moses dicit, Deum uidere
& poenitere, haec fiunt in cordibus eorum, qui
ministerium uerbi habent.

XIII.

Cuncta cogitatio hominis est in-
tenta ad malum omni tempore.

Cauillantur quidam hunc textum:
Moisen loqui tantum de genera-
tione mala ante diluuium: nunc uerò ho-

rō homines esse meliores, qui libero
arbitrio rectē utuntur.

Respon. Moyses seipsum explicat Cap. 8.
Cum inquit. Figmentum esse malum ab ado-
lescentia. Et in Psal. 14. inquit, Omnes de-
clinauerunt: & in hoc loco inquit, Omni tem-
pore.

XIIII.

Jeremias inquit Cap. 17. Cor ho-
minis prauum est, & inscrutabile,
quis cognoscet illud?

Ergo Deus non potuit uidere
omnes cogitationes cordis esse ma-
las.

Respon. Cor hominis est reconditum,
non quidem Deo, sed hominibus. Et inscru-
tabile, id est, malitia hominis gaudet latere.
Homo est prouidus ad proficiendum sibi, alijs
uerò ad nocendum, Et tandem emergit cordis
malitia, sicut & morbus pestilentialis non an-
tea agnoscitur, quàm si infecerit totum sangui-
nem.

XV.

Dies

Dies centum & uiginti. Quo-
modo hoc oraculum est impletum &
Cum tantum ab eo tempore, quo di-
ctum apparet, centum duntaxat an-
ni ad diluuium usq; cucurrerint.

Respondet Hieronymus in questionibus
Hebraicis, Deum uoluisse amplius, ad morta-
lium malitiam conuiuere, Sed propter illorum
impœnitentiam de spatio centum & uiginti
annorum postremos uiginti annos amputasse.
Et hoc nihil adimit, posset Deus adimere plu-
res dies.

XVI.

Quæritur, quare Deus hominem
initio condiderit, uel conditum, cum
peccasset, non statim exitio tradide-
rit.

Respon. Non possumus nec etiam debe-
mus arcanam Dei uoluntatem scrutari: Satius
est dicere cum Paulo. O altitudo diuitiarum
Declaratur autem omnipotentia & bonitas.

XVII.

Cum

Cum homo peccauit, Quare simul
& animalia, & bestia delentur?

Respondet Lyra, quia peccata hominum
in terra facta fuerant, Ideo ad detestationem
criminis deleta sunt animalia, quae in terris ha-
bitant, & uolucres caeli quoq; , quia partem
ibi accipiunt. Pisces autem habitantes in aquis
non fuerunt mortui per diluuium, Quia pec-
cata hominum non in aquis facta sunt. Hec
ille: Chrysostomus & alij respondent, Quo-
niam animalia facta sunt à Deo non propter
seipsa: sed propter hominem, Ideo cum ho-
mine quoq; tanquam ad usum illius perti-
nentia de terra deleta sunt, ut genus humanum
grauitatem poenarum, secundum malitiae suae
multitudinem & enormitatem, non in seipsa
tantum experiretur, Sed & in animantibus
propter ipsum, ut creatis, ita & uno cum ipsa
pereuntibus, ipsis oculis cernebat.

XVIII.

Noah fuit iustus & perfectus.
Sed non est iustus in terra.
Ergo Noah non potest dici iustus.

Respon.

Respon. Noah iustus est per fidem, quòd credidit generali promissioni de semine mulieris, postea de mundo perdēdo per diluuium et seruanda sua posteritate. Perfectus uel integer dicitur, quòd in timore Dei ambulauit, cauens studiosè homicidia & alia peccata, quibus impij contra conscientiam se contaminabant, nihil motus tot scandalis illustrissimorum, sapientissimorum & in speciem sanctissimorum uirorum.

XIX.

Cur Deus omnia tam accuratè præcipit; Satis erat mandatum de Arca paranda. Nam ratio pro & de spacio, & de ratione ædificandi per se uidet, quid facto opus sit, sicut multa egregia opera artificum testantur. Cur igitur Deus ipsum Noah de longitudine & latitudine, de altitudine, de bitumine abducendo tam diligenter docet? Nimirum postq̃ Noah omnia ex præscripto Dei facit, sicuti Moses Tabernaculū ad Archetypum in monte, ut eò maiore fiducia credat se seruatum iri, & suos, nec diffidat operi,

operi, quod ab ipso Deo instructum,
& quo fieret, mandatum erat. Hæc
causa est, cur nunc tam sollicitè omnia
præcipiat Deus.

XX.

Statuam pactum meum
tecum.

Quæritur, quare id factum fuerit:
Lyra respondet de promissione, quod
eum ab impijs hominibus defendere
uelit, qui ei mortem erant minati. Bur
gensis dicit pactum illud potius refe
rendum ad pericula in aquis depel
lenda. Alij putant pactum significa
ri iridis, quod postea Dominus cum
Noah pepigit: Sed loquitur sine du
bio de pacto Spirituali, de promissio
ne seminis, contrituri caput serpen
tis.

XXI.

Octo personæ eliguntur, & ta
men inter istas postea reprobatur
Ham, tertius filius Noah. Hic enim
nominatur ore Dei inter electos &

C sanctos

sanctos, imo cum eis defenditur & seruatur: Simul cum eis credidit & Deum orauit: nisi enim Deum timuisset, in Arca non fuisset seruatus, tamen postea reprobatur.

Respon. Legatur hac de re Lutherus in Genesi, qui hanc questionem latissime explicat: Sunt multæ aliæ quæstiones, quas differam in aliud tempus.

XXII.

Eadem ratione de Loth multæ possent obiectiones in medium adferri, Sed illæ legantur in explicatione Matthæi.

XXIII.

Novit Dominus pios esse tentatione educere.

Sed Dauid in multis Psalmis conqueritur, Se esse à Deo derelictum.

Ergo in Dauide non fuit uera fides.

Respon. Non dubium est magnam esse luctam inter carnem & Spiritum, tandem Spiritus obtinet uictoriam, sicut in psalmis illis uidemus.

Dominae

XXIII.

Dominationem contem-
nunt.

Huc pertinent omnia argumenta
Anabaptistarum, quibus probare uo-
lunt Christianum hominem non pos-
se gerere Magistratum. Collegi au-
tem ultra 20. argumenta, quorum
explicationem in illud differam tem-
pus, quando Deo uolente monstratus
sum, quomodo Hæretici, Ana-
baptistæ & Papistæ, Sacramentarij &
alij, textum in tota Biblia deprauaue-
rint.

XXV.

De Balaam falso Propheta. Res-
pensiones ad aliquot obiectiones,
quomodo & falsi prophetæ possint
uera dicere, audiuius in explicatio-
ne Matthæi Cap. 7.

XXVI.

Satius enim fuisset, ihs non cog-
nouisse uiam iusticiæ:

C 2

Hoc

Hoc loco utuntur Donatistæ ad confirman-
dum tetrum errorem, lapsos post baptismum
rursus non recipi in gratiam, & multa loca
scripturæ huc detorquent, tam ex ueteri quàm
nouo testamento, & præsertim allegant illa
duo dicta, quæ sunt in Epistola ad Hebræ. Cap.
6. & 10. Sed Dominus Philippus illos duos
locos dextrè explicat, aliorum locorum audia-
uimus responsionem in Epistola ad Ephesios.

CAPVT III. ♦

I.

Et memores sitis mandati
nostri.

Apostoli suis auditoribus pecu-
liaria mandata tradiderunt.

Ergo Papa, qui est successor Apo-
stolorum, etiam mandata tradere po-
test, iuxta, quæ uiuere debet Ecclesia.

Respondeo, Apostolus non loquitur hic de
constitutionibus humanis, sed de mandatis,
quæ præscripta sunt in decalogo rectè intel-
lecto.

II.

Venient

Venient illufores dicentes, ubi eſt
pollicitatio aduentus eius?

Multa ſunt loca ſacræ ſcripturæ, quæ le-
ſta iuxta literam, partim probare uidentur,
corpus nunquam reſurgere, partim et animam
mortalem eſſe, Sicut ex Iob cap. 14. Lignum
habet ſpem ut creſcat, Homo uero non. Sed non
dubium eſt, hæc uerba eſſe hominis hærentis
in Arguſtulo miſeriarum, ſicuti Iob, & tan-
dem emergentis. Quia uero multos locos
collegi, quæ huc quadrant, differam illa uſq;
in 15. Cap. 1. ad Cor.

III.

Deus eſt patiens, uult omnes ad
pœnitentiam recipere.

Sed non omnes recipiuntur in
gratiam: Sed maxima pars humani
generis condemnatur.

Ergo hæc promiſſio non eſt firma.

Reſpondeo, Dei promiſſio eſt firma quo
ad ipſum & declarationem ſuæ uoluntatis.
Quòd multi non recipiuntur, non Deo, ſed ſi
biſſis culpam imputare debent, quòd magis
tenebras quàm lucem dilexerunt.

IIII.

Veniet

Veniet autem dies Domini!

De signis nouissimi Diei audiuius in
Matthæi cap. 24. Illæ obiectiões & respon-
siones huc referri debent.

V.

Vt immaculati & inconta-
minati ab illo reperiamini.

Quomodo aliquis potest inueni-
ri irreprehensibilis, cum tot uitijis la-
boremus omnes.

Respondeo non obscurum est, cur Eccle-
sia dicatur sancta & imputatione & inchoa-
tione.

VI.

Scriptis uobis in Epistolis ferè
omnibus, loquens de his, inter quæ
sunt nonnulla difficilia intellectu.

Papistæ hunc locum sicuti multos alios
eo detorquent, cum in scriptis Paulinis multa
difficilia sint, Laicos Biblia non debere legere,
& nullam explicationem esse recipiendam, ni-
si Patrum, sicuti suo loco audiemus, quando ob
oculos propositurus sum Dei beneficio,
quomodo

quomodo multos bonos textus corrupserunt. Et
tantum abest, ut hoc dictum sit contra nos, ut
potius existimem Petrum nos inflammare &
accendere ad sedulam lectionem sacrarum li-
terarum. q: d: postquam in Pauli Epistolis
aliqua sunt difficilia, ideo tanta maiori cum
diligentia scriptura est legenda, tanto cum
maiori studio docentes sunt audiendi, & quod
non intelligimus, ab alijs est querendum,
sicuti diligentem discipulum oportet
sepius suum praecceptorem interro-
gare. Ita breuiter hanc Epi-
stolam examina-
re uolui.



42 ⁸/₁₄

(x220 1466)

TA → OL



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
								
								

T
SE
OLI,
que
ocis,

